



**Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

XIV. Cùm quis injus alterius succedit, justam ignorantiae causam habere censemur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](#)

Juris quoque ignorantiam excusare conveniens sit. Sed ratio hæc veri speciem majorera, quā vim habet; quia in primis persona rudiiores jam sunt exceptæ. Deinde; quia, licet multi sint, qui Jura ignorant, ea tamen ab omnibus sciri, aut saltem in aliis gravioris momenti prætiti confuli in judicialibus, & aliquando adhiberi in extrajudicialibus posunt ac debent. Ut proinde scientia Juris, ad ipsos pertinentis, præsumptio ipsis quoque sit aptata.

14. Dubium est, an ignorantia excusat in delictis, in quo ex frequentiori DD. calculo facti, non Juris ignorantia excusat: nisi: ut delinquens mitius puniatur; immo prætena Naturalis ac Divini Juris ignorantia nec ad poenam mitigationem proficit, l. Si adulterium 38. s. 1. & 2. ff. ad L. Jul. de Adult. ubi Bruneman, n. & Anton. Matthæ Tit. 3. cap. 6. n. 3. & 4. Quod si humani tantum Juris aliquid vetantis vel etiam præcipientis ignorantiam omnino inculpatam fuisse legitimè probaretur, transgressorum à poena omnino liberaret, Azor p. 1. Inst. lib. 1. cap. 16. q. 2.

#### REGULA XIV.

Cum quis in jus alterius succedit, justam Ignorantia causam habere censetur.

#### SUMMARIUM.

1. Acceptio nominis Successio.
2. Senus & ratio Regula.
3. Heres ignorans penam præstat ex contractu defuncti:
4. Cujus facti ignorantia illum absquando;
5. Non semper excusat.

**S**uccessionis nomen hoc locè sumitur I. late; ut non eum duntaxat, qui in universum jus defuncti ab intestato vel ex testamento succedit: sed legatarium quoque & fideio commissarium, donatarium, emptorem & alios, in rebus singularibus alii succedentes afficiat: immo etiam porrigitur ad Prælatos & alios in dignitate, beneficio, vel officio alteri quovis modo sufficiens, Canisius ad hanc Reg. pr. & Barbosan. 3. Vnde 2.

Regula hæc quædam declaratio proximè præcedentis, ejusque sensus est, In alterius jus & locum succendi obesse non debet, si id, quod ab autore vel antecessore suo gestum est, ignoret: quod etiam assertur Regula 42. pr. in Pandellis. Ratio utriusque est; quod successor revere alius sit ab autore & antecessore, in cuius jus vel locum succedit: alieni autem facti ignorantia sit justa, & ignorantem excusat, secundum proximè declarata Regula partem priorem.

Neque Regula huic vim adimit pri- 3.  
mò; quod, si Titius post millena ad certum  
diem Cajo sub poena 50. promissa ante  
convente diei aduentum decedat, po-  
nam præstare etiam teneatur heres, si  
millena constituto die non fuerint soluta,  
l. Ad diem 77. ff. de V. O. Gl. fin. ff. de  
Nautico, Foen, luculentō argumento, in  
alterius jus succedentem iustam ignoran-  
tia causam non habere. Sed hoc Regu-  
la vim non eneruat; cum, quod poena ab  
herede præstanta sit, non proveniat ex  
heredis facto: & poena etiam præstanta  
sit, quando solutionis terminus ante ha-  
reditatem aditam est lapsus, l. Ad di-  
em cit. sed ex contractu: ex quo,  
sicut debita cætera, sic etiam adjectam  
poenam soluere heres tenetur, suā igno-  
rantiā ipsi nihil patrocinante, Dynus ad  
hanc Reg. n. 2. & Bruneman in l. cit n. 1.  
Neque secundò oblitus quod successor 4.  
non

D d d d

non debeat esse melioris conditionis, quām fuit autor: & ne creditoribus praejudicetur, circa obligationem ex persona hæredis aliquid novi non induci, Reg. Js, qui in jus qd. in 6.; ac proinde ignorantiam prætendere, sicut non potuit defunctus, sic nec hæres possit; facillima enim responsio est quod partem quidem priorem; quia successor non est alterius aut melioris conditionis, quām autor, quando eadem est utriusque: non etiam, quando, ut hic, alia ratio est successoris; cū iste factum authoris probabilitate ignorare: non etiā suum authoris possit. Quoad partem vero posteriorem; quia, cū hæres ignorantiam prætendit, obligatio principalis non mutatur, substantia ejus eadem manet, non variatur res debita & contrahentium intentio non lèditur: sed ipse hæres ob ignorantiam à culpa & mora defenditur, Zecius in I. Stipulationum 2. §. Ex his 2. ff. de V. O. n. 15.

**S.** Neque tertius; quod hæres succedit in vitium defuncti adēd; ut istius rem, quam scīvit esse alienam, possidentis mala fides ipsi quoque noceat, quod minus præscriptionem à sua bona fidei possessione valeat inchoare & completere, § Diutina 12. Institut. de V. S. cap. & l. Cū hæres t. 1. ff. de Diversis tempor. præscript. Quia hæc est una ex Regulae limitationibus; cū enim hæres iustam ignorantiam habere dicitur, excipitur imprimis, Nisi agatur de causa lucrativa; cū enim de tali agitur, propriam ignorantiam hæredi non patrocinari, ex § Sires legata 16. V. Si vero, In his. de Legat. desumit Decius ad Reg. 42. cit. n. 4. præscriptionem autem causam lucrativam esse, planum est; cū ejus beneficium rei non suæ possessor cum alieno damno locupletetur. Deinde, Nisi agatur de iis, que continentur in testamen-  
to; quod eorum notitiam post aditam

hæreditatem habere hæres præsumatur. A Non ferendum 12. ff. de Transact. De-  
mum, Nisi hæres agat; nam qui agit, cer-  
tus paratusque est debet, & remiantur ha-  
bere exploratam; cū in ejus potestate  
sit, quando velit, experiri, Reg. 42. cit. &  
I. Purè 5. §. fin. ff. de Doli mali excepto,  
Decius l. cit. a. n. 3.

### REGULA XV.

Odia restringi & Favores con-  
venit ampliari.

### S U M M A R I U M

1. *Sensus & Ratio Regule.*
2. *Quæ dispositio Favorabilis, vel Odiosa sit, DD. variant.*
3. *Versimilior explicatio Favorabilis,*
4. *Varis exemplis declaratur:*
5. *Admittit tamen exceptionem in em-  
bitiosis.*
6. *Explicatio dispositionis Odiosa,*
7. *Varis exemplis firmatur,*
8. *Et exceptionibus restringitur.*
9. *Dispositio partim favorabilis, par-  
tim odiosa esse potest.*
10. *In dubio favorabilis censetur.*

**F** Amigeratae istius usque tritissi-  
ma Regula sensus est, Legales aliæ  
que dispositiones odiose exigunt scri-  
tam: favorabiles autem latam  
interpretationem admittunt. Qui sens-  
sus, ejusque ratio expedita foret, si ex-  
ploratum esset, quænam lex, canon,  
statutum aliave dispositio favorabilis  
vel odiosa sit; cū illam extendi, hanc  
contrahi oportere, suadet ratio humani-  
tatis: quæ hominem addecet, & ad li-  
berandum, quām obligandum reddit pro-  
niorem, l. Arrianus 47. ff. de O. & A.

Quænam autem dispositio favora-  
bilis, quæ odiosa sit, dubitandi ratio est;  
quod